

monstretur. At mulierem ita incapacem esse, falsum est; aut intrinsecus repugnaret, reginam in republica summa potestate potiri, siquidem illa actus naturā suā prorsus similes, i. e. *judiciales*, exercere debet. — Cur autem ordinaria potestate mulier censuras ferre non possit, ea est ratio, quia potestas ferendarum censurarum iis ex munere suo inhaeret, qui constituti sunt „regere Ecclesiam Dei“, aut qui ad partem hujus regiminis assumpti sunt; at hos pleno sensu solos Episcopos esse, i. e. qui *characterem* pontificalem vel habent, vel ad illum recipiendum destinantur et obligantur, institutionis divinae est; per quandam participationem secundum beneplacitum Ecclesiae sacerdotes secundi ordinis, quando parti dominici gregis pascendae ut quasi-Episcopi praeficiuntur. Porro a sacerdotali charactere mulieres excludi, ut *notum* et certissimum sumimus; ergo etiam a potestate vi proprii muneri ferendi censuras excluduntur mulieres. Cum hac distinctione mulieri adscribit potestatem, de qua loquimur, *Lugo Responsa moral.* l. 6 dub. 6 n. 9, ubi quaerit, utrum S. Pontifex homini non baptizato spirituale potestatem delegare possit<sup>1</sup>, Schmalzgrueber l. 5 tit. 39 § 1 n. 15 cum Suarez, Laymann, Pirhing etc.

873 Ad IV. Notum est, leges Pontificias posterioris temporis, et maxime Tridentinam synodum in multis rebus exemptos regulares Episcopis subjecisse ut delegatis Sedis Apostolicae. Quos casus videre est apud Ferraris ad vocem *Regulares, Chokier de jurisd. Ordinar. in exemptos* part. 2 q. 45; praecipuos enumerat S. Alph. de priv. n. 76 et Bened. XIV. de syn. dioc. l. 9 cap. 15 n. 4 sqq., scilicet in variis rebus, quae Missae celebrationem, sacramentorum administrationem, praedicationem verbi divini, delicta extra claustra commissa respiciunt.

Quare jam puniri possunt, si in illis causis delinquunt, etiam per censuras, nisi habeant speciale privilegium, quo *censuris* non possint puniri, illudque privilegium manserit intactum. At plene intactum non mansit. Nam isti speciali eorum privilegio, qui ne ab Episcopis quidem ut Sedis Apostolicae delegatis puniri possunt censuris, derogatum est in sequentibus:

1) in administratione sacramentorum erga saeculares; 2) in delictis, si quae committuntur circa personas intra septa degentes, aut 3) circa claustram monialium, aut 4) in administratione bonorum monialium; 5) in praedicatione in alienis ecclesiis sine licentia Episcopi, aut 6) in suis ecclesiis sine benedictione Episcopi saltem petita aut Episcopo contradicente<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Ita faciliore modo explicantur facta, quibus S. Pontifex aliquando Abbatissis facultatem fecit, sub censura subditis suis praecipiendi: si vere hanc potestatem fecit. Nam nimis violentum videtur dici, ipsum S. Pontificem quoslibet jam excommunicata hypothetice, videlicet sub conditione praeecepti, quod Abbatissa imponeret et urgeret. Alii tamen putant cum De Angelis, facta, quae referuntur, sic explicanda esse, ut presbyter Abbatissae vicarius censuram infligeret iis, qui contra obedientiam Abbatissae debitam delinquerent. *Decretal.* l. 1 t. 33 c. 12.

<sup>2</sup> V. Const. Greg. XV. „Inscrutabili Dei prov.“ Nonis Febr. 1622 et declarat. S. C. C. in causa Angelopolitana 16. Apr. 1648 confirm. a S. Pont. 14. Maii ejusd. anni. Videlicet extra omnem dubitationem est derogatio illius specialis privilegii facta in hisce postremis causis, quae in textu referuntur sub n. 5) 6) et infra 7) ex ipsa Bulla Greg. XV. et decreto Urbani VIII. De aliis causis in Constitut. ex ipsa Bulla Greg. XV. citatis controversia excitatur, utrum speciali privilegio non

NB. Concedunt tamen communiter, pro aliquibus vicibus ipsum parochum licentiam in sua ecclesia praedicandi dare posse. V. S. Alph. de privil. n. 125. *Craisson Manuale* n. 595 dicit „pro duabus aut tribus vicibus, aut si Ordinarius absens esset et religiosus aliquis transeunter adesset: in quibus casibus parochus illis concedere posset licentiam praedicandi ex concessione Gregorii XIII.“, atque etiam praeceptum petendi benedictionem consuetudine aut circumstantiis temperatum est.

Accedit 7) *septima* causa, si agitur de removendis imaginibus Domini Nostri et Sanctorum inconsueto vel scandaloso modo pictis ex decr. U. et O. S. Congr. R. jussu Urbani VIII. editum et publicatum 26. Julii 1646 (v. Gardell. n. 1403), ubi vides additam clausulam privilegiis etiam maxime specialibus plenissime derogantem.

Tandem nota, Episcopum in omnibus casibus, in quibus censura Palpis latae sententiae incurritur, posse regulares quomodolibet exemptos, si forte ejusmodi censuram incurrerint, tamquam Sedis Apostolicae delegatum publice denuntiare, quando delictum est ita *notorium*, ut judiciali inquisitione non indigeat: v. Mazzotta de cens. et irreg. disp. 1 q. 1 c. 4 § 4 n. 4.

#### § 4.

##### *De cessatione censurarum earumque absolutione.*

I. Quamquam ad contumaciam frangendam censura infligitur, non<sup>874</sup> tamen per se solā delinquentis poenitentiā cessat, sed communiter indiget *absolutione*.

II. Per se absolvere potest tantum Superior, qui censuram infixit ejusque delegatus, aut ejus Superior vel successor.

III. Regula modo sub II. enuntiata omnino servatur in iis censuris, quae speciali mandato vel sententia contra aliquem latae sunt, ita ut ille solus, qui tulit, aut ipsius Superior, aut qui specialiter ab ipso sit delegatus, eas absolvere possit.

IV. Censurarum autem *latae sententiae*, quae universali lege S. Pontificis statutae sunt, pro majore minoreve facultate absolvendi distinctionem jam supra habes n. 863, videlicet:

1. Censurae nemini reservatae, a quibus *quilibet confessarius* in foro interno absolvere potest; in foro externo, si causa ad illud deducitur, solus Ordinarius est, qui absolvat.

2. Censurae Ordinario reservatae, a quibus confessarii tum tantum absolvere possunt, si hanc potestatem ab Ordinario communicatam habent.

3. Censurae Romano Pontifici ordinario modo reservatae, ad quas absolvendas, si *occultae* sunt, pro foro interno ex cap. „Liceat“ Trid. sess. 24 c. 6 de ref. et Const. Pii IX. (v. supra) Ordinariis facultas vi munera conceditur.

subjaciendi correctioni Episcoporum *per censuras* derogatum sit necne, videlic. in causis supra notatis n. 1)—4): quum videatur soli § „Ac demum“, qua S. Pontifex causas n. 5) et 6) recenset, adjecta clausula „per censuras“. Verum id contextui congruere non videtur; siquidem illa clausula „Ita ut . . .“ referri debet non ad solam istam §, sed ad omnes praecedentes §§ „in suprascriptis casibus in praemissis omnibus et singulis“: ut — quod opinor — legenti ipsam Constitutionem persuasum fiet.

4. Censurae R. Pontifici *specialiter* reservatae, quarum absolvendarum facultas in c. „*Liceat*“ non includitur, neque continentur unquam in generali facultate, per privilegium concessa, absolvendi a casibus (*omnibus*) Sedi Apostolicae reservatis, nisi expresse mentio harum censurarum facta est.

5. Imo ab ipsis illis casibus speciali modo Romano Pontifici reservatis unum alterumve casum excipere debemus, qui etiam strictiore modo Pontifici reservatus censemur. Excipiebatur antea *haeresis et apostasia*. Itemque etiam nunc post Bullam „*Apostolicae Sedis*“ facultas absolvendi ab haeresi et apostasia consuevit separatim et speciatim dari praeter facultatem generalem absolvendi a censuris etiam speciali modo R. Pontifici reservatis (v. Rohling *Facult. Episcopis Americae dari solitae. Form. I.* n. 15 et 16). — Sed *specialissimo modo* excipitur: „attentata absolutio complicis“ (et sine censura R. Pontifici *specialiter* reservata „falsa accusatio sollicitationis“). Quae delicta vel censurae nunc in amplissimis etiam facultatibus pro jubilaeo datis semper excipi solent, atque ipsa Congregatio Sacri Officii 27. Junii 1866 decrevit, nunquam censeri harum absolvendarum facultatem contentam in facultatibus, quae *Episcopis generali modo* dari consuevissent. — Attamen ad certum numerum casuum aliquando S. Sedes etiam hanc facultatem pro dissitis regionibus concessit, conditionibus autem multum aggravantibus adjectis.

875 V. In articulo sive periculo mortis quilibet sacerdos, etsi nullum privilegium habeat, a quibusvis peccatis et censuris quantumlibet reservatis absolvere potest, attamen firma manente etiam tum obligatione poenitentis, ut stet mandatis Ecclesiae, si convaluerit; alioquin in eandem censuram aliquando iterum incidet.

VI. Quamquam in Constitutionibus SS. Pontificum, quibus censuras statuant sibique reservant, solus articulus mortis excipitur, in quo alius possit absolvere, idque aliquando sub gravissima poena contra eos, qui alias absolvere audeant: tamen hucusque communis erat sententia scriptorum eaque ex communi regula Corporis juris cap. „*Ea noscitur*“ et „*Nuper*“ Decretal. I. 5 tit. 39 cap. 13 et 29 et cap. „*Eos qui*“ I. 5 tit. 11 cap. 22 in 6. desumpta, legitime impeditos, quominus personaliter Rom. Pontificem adeant, posse absolviri ab Episcopo, sive casus occultus sit sive publicus, sive ordinario, sive speciali modo S. Pontifici reservatus; imo qui etiam impediti essent, quominus Episcopum adirent, ab aliis confessariis posse absolviri: nisi forte, quando ad forum externum causa deducta ibique componenda esset, neque resurgeret, per literas cum Episcopo communicatio esset facienda. Nunc vero, ut n. 410 retuli, S. Officium ita decrevit, ut in casu verae et gravis necessitatis liceret quidem cuilibet confessario a casu etiam *specialiter* R. Pontifici reservato absolvere, at sub onere, ut infra mensem etiam per literas et saltem per medium confessarium Romam recurreretur, nisi absolutus vellet reincidere in easdem censuras.

876 **Uberior explicatio.** Nota ad I. Communiter censuram sola absolutione auferri, dixi. Sunt tamen suspensiones quaedam, et interdicta, quae inter censuras referuntur, ad certum tempus statuta. Quae, sive veri nominis censuras eas dixeris, sive non, elapsi illo tempore, absolutione non

indigent, sed eo ipso cessant; antea ut auferantur, absolutione opus est. — Potest etiam ferri censura *sub conditione resolutiva*. Quod si fit, conditio perfecta, cessat eo ipso censura.

Ad II. 1. Ipsum Superiorem posse etiam eum absolvire, qui invitus vel indignus sit, nullum est dubium. Delegati potestas communiter non ita arbitrario usui patet. Attamen fieri potest, ut poenitens satis dispositus non judicetur, ut recipiat sacramentalem absolutionem, neque vero propterea necessario a censurae absolutione excludi debeat. Sufficit, ut contumaciam in illo delicto, quod censurā punitur, deposuerit. Absolutio tamen metu gravi et injusto extorta invalida est. S. Alph. n. 119.

2. Modus absolvendi in foro externo servandus in Rituali Romano notatur; in foro interno sufficit formula, quae secundum Ritualis praescriptum omni absolutioni sacramentali praemittitur. Imo ad *valorem* sufficit, quoque modo voluntatem absolvendi efficacem manifestare. Quapropter absolviri potest absens per literas vel nuntium: ita Reginald *prax. fori poenit.* lib. 9 n. 39, S. Alph. I. c. n. 119 et alii communiter, nisi forte absolvendi facultas foro *sacramentali* adnexa est, ut in jubilaeo.

3. Alias autem ne putas, id tantum hoc manifesto modo, v. g. per literas, fieri posse. Nam Suarez de *poenit.* d. 32 sect. 6, Lugo de *poenit.* d. 22 n. 51 — idque approbare videtur S. Alph. I. 6 n. 618 — aperte docent, posse absolviri absentem et ignorarum, ita ut verba absolutionis quidem proferantur, a nemine autem percipientur. Loquens enim de erroris in confessionibus audiendis commissi reparatione, Suarez haec habet: „Quidam dicunt, interdum posse confessorem supplere defectum per se ipsum nihil dicendo poenitenti . . . petendo jurisdictionem a Superiore (et dein) repetendo absolutionem, dirigendo illam in poenitentem, ubiunque fuerit . . . Haec quidem sententia (NB. reprobanda est haec sententia omnino quoad sacramentalem absolutionem, ut constat ex thesi a Clem. VIII. damnata) mihi valde probaretur, si auctores hic de excommunicatione loquerentur; nam de illa verum est, posse absolutionem fieri in absentem et ignorantem etc. Confessor ergo potest optime illo remedio uti, *imo et debet*“ (sc. debet, si aliquis, qui se putat absolutum, absolutus non est et aliter censurā obstrictus manet). — Lugo de eadem re loquens ait: „Prima sententia dicit: confessarius debet absolvire vel praesentem vel etiam absentem. . . . Hanc sententiam quod attinet ad absolutionem ab excommunicatione approbant Suarez, Vasquez aliquique recentiores communiter“. Idem tenet Fillucci de *sacram.* tr. 7 n. 370. — Magis etiam certo dixerim valere absolutionem *a censuris*, quae detur *per telephonum*; nam talem absolutionem *a peccatis* habeo plane improbatum, ne dicam certo nullam: quod sane consonat cum responso S. Poenitentiariae, quae proposito dubio „utrum in casu extremae necessitatis dari possit absolutio per telephonum“, d. 1. Julii 1884 rescripsit „Nihil est respondendum“. (Ex lib. trimestr. August. seu Linzer Quartalschrift anni 1886 p. 730.)

Ad III. Si quis peregrinus per sententiam *particulararem* ab Episcopo non-suo excommunicatus est, non potest a suo Episcopo absolviri. Si vero censurae latae sunt mandato vel sententia *generalis*, ab illis absolviri potest per eum, qui in ipsum jurisdictionem (episcopalem) habet: S. Alph. n. 73.

Ad IV. 1. A censuris Ordinario reservatis absolvendi facultatem etiam 877 a S. Pontifice accipi posse, non est, quod notem. Num autem et quo sensu

haec facultas a Summo Pontifice data sit, vide infra *de censuris in specie* cap. III n. 968.

2. Notandum est, cap. illud „*Liceat*“, quo Episcopis datur facultas absolvendi subditos suos a casibus Papalibus occultis, a compluribus scriptoribus intellectum esse ea interpretatione, ut regularis exemptus, qui forte ejusmodi censuram incurrisset, a suo praelato posset absolvvi. Revera, quamquam privilegia omnia regularibus *indefinite* concessa Constitutione „*Apostolicae Sedis*“ sublata sunt: illa tamen facultas erga *suos* praelatis regularium censebatur mansisse, si minus ex cap. „*Liceat*“, saltem ex communi regula juris, qua absolutio, quae a mediato Superiore per se dari deberet, devolveretur ad immediatum Superiorem, quando is, qui absolvendus est, medium Superiorem adire nequibat, nisi *in peculiari casu* recursus per literas exigeretur. Si enim casus Papalis devolvitur ad Episcopum delinquentis, regularis exemptus, qui non habet Episcopum Superiorem, loco Episcopi suum praelatum adire debet. Imo *Ferraris v.* „*Absolutio*“ art. 1 n. 37 et „*Prael. Regul.*“ n. 20 refert, S. Congregationem Epp. et Reg. facto verbo cum SS. Clem. VIII. absolute decrevisse, omnes Bullas et decreta derogatoria privilegiorum regularium, quantum ad facultatem absolvendi a casibus Papae reservatis, esse intelligenda solum in ordine ad saeculares, non autem in ordine ad *sus* subditos regulares. Verum de hujus decreti authenticitate non videatur constare; S. Poenitentiaria 5. Dec. 1873 hanc doctrinam non admisit. Atque nunc post decr. S. O. omnia compone ad normam n. 410 et 875 datam.

878 Ad V. 1. Si quis propter articulum mortis aut aliud legitimum impedimentum ab eo, qui facultatem per se non habet, absolvitur, ex cap. „*Ea noscitur*“ cap. 12 tit. 39 l. 5 Decret. debet jurata promissio a reo exigi, se cessante impedimento sese sistere velle legitimo Superiori (vel nunc se infra mensem velle causam cum S. Sede vel S. Poenitentiaria componere), ejus mandata suscepturum. Haec autem jurata promissio in foro quidem externo adhibenda est, eaque 1) de satisfaciendo parti laesae, si quis laesus erat neque realis satisfactio vel cautio dari potuit, 2) de crimine non amplius committendo, 3) de adeundo Superiori ejusque mandato vel poenitentia recipienda. At in foro interno utiliter quidem in causis seu delictis atrocioribus adhiberi potest simile juramentum, sed illud adhiberi *debere*, non jam constat: v. S. Alph. n. 129, Tamb. *de poenit.* cap. 12 § 4 n. 7 cum aliis multis; quare sufficit, si a confessario injungitur *seria promissio*.

879 2. Illa obligatio postea comparendi et standi mandatis Ecclesiae expresse inculcatur quoad excommunicationes *speciali modo* Romano Pontifici reservatas; quoad illas igitur, sicut etiam quoad omnes censuras *publicas*, nemo est, qui dubitet, hanc obligationem etiamnunc firmam subsistere. Sed quoad *alias* censuras ordinario modo reservatas neque *publicas*, sunt, qui dicant, confessarium quemlibet posse nullo onere imposito absolvere eos, qui *in periculo mortis* sint. Quod ex veterum theologorum doctrina mihi nullatenus probatur; ex doctrina recentiorum scriptorum censeo, id nunc probabile evasisse<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Videlicet in cap. „*Eos qui*“ generalis regula de omni censura reservata ea statuebatur, ut nisi cessante impedimento reus compareret, in eandem poenam, a qua

Ad VI. 1. Legitime impeditos plerumque non teneri literis petere<sup>880</sup> absolutio a S. Pontifice, nisi feratur reservata excommunicatio speciatim in eos, quos ex sua conditione semper impeditos esse notum sit, hucusque habebatur ex ipso jure canonico, quod imponit, ut personaliter se sistant

absolutus esset, eo ipso reincideret. Neque hoc a fautoribus laxioris opinionis negabatur. Sed hoc jus antiquum *correctum* esse putabant a Tridentino vel a Ritu Romano; at probabilis ea interpretatio non videtur esse. Tridentinum enim tantum dicit, in Ecclesia Dei semper ita custoditum esse, ut omnis reservatio cessaret, atque ideo quemlibet sacerdotem a quibuslibet censuris et peccatis absolvere posse. Verum cessare reservationem, et quemlibet absolvere posse, dupli modo fieri potest, aut absoluta et illimitata facultate, aut facultate diminuta, videlicet cum onere, ut reus postea, si convaluerit, Superiori se sistat. Quoniam igitur sensu Tridentina synodus verba illa intellexit? Sine dubio illo sensu, quo, ut addidit ipsa synodus, semper in Ecclesia Dei custoditum est. At luce clarius est, non esse semper in Ecclesia custoditum, ut quilibet confessarius *absoluta* potestate absolvendi in periculo mortis uteretur: alioqui quid sibi vult canon ille „*Eos qui*“? — Neque felicior est Ritualis Romani interpretatio. Verba, quae allegantur, haec sunt: „Si vero quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis et censuris, quantumvis reservatis (cessat enim tunc omnis reservatio): sed prius, si potest, cui debet, satisfaciat: ac si periculum evaserit, et *aliqua ratione Superiori, a quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur*: quum primum poterit, coram eo se sistat etc.“ Ergo — inferunt — non in omnibus peccatis et censuris reservatis debet poenitens postea se sistere, sed tantum aliquando fieri potest, ut se sistere debeat, aliquando vero non tenetur. Respondeo, legitimam conclusionem hanc esse: quando poenitens in periculo mortis constitutus habet delicta, quae alias a Superiori tantum absolvii possunt, non semper tenetur, elapsi periculi, Superiori se sistere; aliquando tenetur, aliquando non item. Quando vero teneatur et quando non teneatur, *aliunde* sciendum est. Namirum si habet peccata sine censura reservata, non tenetur *per se* postea se sistere, potest teneri *per accidens*; quando vero habet peccata cum censura reservata, spectato jure eousque vigente, *semper* postea se sistere debet: quapropter Rituale dicit: „*si aliqua ratione se sistere debet*“, sc. sive propter censuram reservatam per se et semper, sive propter peccatum sine censura reservatum per accidens ob rationes ex natura et sequelis ipsius delicti desumendas.

Quod vero aliqui ex *auctoritate* theologorum benignorem opinionem defendere conabantur: ea sola veram probabilitatem illi conciliare non potest. Nam si rationes, quas scriptores illi afferunt, sunt improbables, eorum conclusio probabilis esse nequit. Deinde complures perperam prorsus allegantur, quorum alii plane contrarium docent, ali non obligationem promittendi recursum ad ipsum Superiorum negant, sed solum obligationem id promittendi *cum juramento*. Exemplum habes 1) in Fillucci, qui citatur a Gury II. n. 576; verum apud ipsum tract. 7 append. „*instructio brevis*“ art. 5 haec legis: „in articulo mortis quemlibet sacerdotem posse absolvere a quibusvis reservatis . . . et si quidem non habeant censuram adnexam, non remanet obligatio in absoluto comparendi coram Superiori legitimo; si vero habeant adjunctam censuram, remanet onus ad comparendum coram Superiori“. In tract. XI. (*de censuris*) n. 288 sqq. non amplius discutit hanc causam, sed remittit lectorem ad ea, quae loco priore dixerat. 2) Gobat tr. VII. n. 145 negat, mandatum comparendi ita intelligi, ac si nova solutione opus sit, sed post Trid., quod potestem absolvendi tribuerit, illam comparisonem esse tamen *praeceptum*, ut audiatur, quid velit S. Pontifex etc. injungere: quoad *juramentum* vero comparendi id restringit ex Tamb. ad solos percussores clericorum; de quo cf. ipsum Tamb. *de meth. conf.* l. 2 c. 6 n. 3.

Verum nunc ex ipsa Constitutione Pii IX. „*Apostolicae Sedis*“ rationem petunt. Quod enim in una eademque Constitutione hoc onus postea se Superiori sistendi in censuris Romano Pontifici specialiter reservatis expresse efferatur vel renovetur,

Superiori: S. Alph. n. 89. Quae vero nunc mutatio hac in re facta vel praeparata sit, n. 875 indicatum habes. Imo aliter etiam ex sese jam saepe expedit, ut aut reus aut confessarius literis petat facultatem absolvendi, ne forte onus postea comparendi poenitentis humeris impositum maneat. Ii enim soli simpliciter liberi ab onere isto, postquam absolutionem sine facultate acceperunt, semper censemantur, qui perpetuo impediti essent, tum quominus S. Pontificem, tum quominus Episcopum adirent: quod sane casus rarus est<sup>1</sup>.

2. Quinam et quo sensu legitime impediti dicantur a S. Alphonso, disce ex iis, quae dicta sunt de poenit. sect. III. cap. 1 art. 4 § 2.

3. In quaestione a nonnullis agitata, num ille, qui Romanum Pontificem adire non valeret, pro arbitrio suo tam bene a quolibet confessario, quam a suo Episcopo absolvvi posset, hoc negandum esse arbitratus sum. Verum nunc post decretum S. O., quod habes n. 410, haec vix ullius momenti sunt. In casibus autem *occultis ordinarie* S. Pontifici reservatis omnino adeundus est Episcopus.

## Caput II.

### De prima censurarum specie, seu de excommunicatione.

#### § 1.

##### Generalis notio.

<sup>831</sup> I. Excommunicatio est gravissima omnium censurarum, estque vi nominis et re ipsa exclusio a communicatione fidelium, seu exclusio ab illis bonis, quorum fideles qua fideles, i. e. qua membra Ecclesiae, participes sunt.

Ab illis igitur bonis, quorum valida participatio ecclesiasticae potestati subdita est, ita excluduntur excommunicati, ut ne valide quidem eorum participes fieri possint, ab aliis spiritualibus bonis ita excluduntur, ut eorum participatio saltem non liceat.

II. Attamen plenum suum effectum illa excommunicatio non habet, nisi in *vitandis*, seu in iis, qui neque ipsi cum fidelibus communicare possunt, neque a fidelibus recipi possunt, seu quibuscum fideles communicare nequeunt. Distinguuntur enim post Constit. Martini V. „Ad evitanda scandala“<sup>2</sup> excommunicati tolerati et vitandi. Cum toleratis igitur reliqui fideles libere agere possunt etiam in sacris actionibus; et quamquam haec pristinae severitatis relaxatio solummodo in favo-

in aliis silentio praetereatur, signum esse, leglatorem velle in solis causis prioribus illam legem sustinere. Quae est ratio non spernenda. Et haec opinio, quoniam a compluribus scriptoribus etiam tenetur, ut a D' Annibale, Pennachi, Varceno, Marc, Heiner etc., practice probabilis evasit.

<sup>1</sup> Quamquam dicitur obligatio personaliter se sistendi R. Pontifici, id tamen non sic intelligitur, quasi R. Pontifex ipse omnium confessiones excipiat atque poenam statuat, sed id facit per speciale suum delegatum, Poenitentiarium pro foro interno in Urbe munere fungentem, aut per Inquisitorem pro certis causis publicis: quem proin loco Pontificis reus adire deberet. Simile quid intellige de Poenitentiario ecclesiae cathedralis. Per literas autem, ut jam dictum est, recurrunt ad S. Poenitentiariam.

<sup>2</sup> Vide Hardouin Concil. t. VIII. col. 892.

rem et gratiam fidelium facta est, indirecte tamen ipsorum excommunicatorum poena multo levior evasit.

III. *Vitandi* hi soli sunt: 1) nominatim excommunicati et denunciati; 2) notorii clericorum percussores, etsi excommunicationis publica et juridica declaratio ipsius percussoris facta non est.

IV. *Communicatio* cum vitandis sine causa excusante per se quidem peccatum est, plerumque tamen veniale peccatum tantum (quae nam communicatio grave peccatum sit, v. infra); eaque antea puniebatur *excommunicatione minore*; nunc vero Constitutione „Apostolicae Sedis“ sublata est excommunicatio minor ipso facto incurrenda; imo prohibitio cum vitando communicandi in civilibus ordinarie loquendo non videtur amplius tam stricte urgere; quum communis socialis vitae conditio hodie videatur causa excusans esse, quam in singularibus casibus probari non oportet.

V. Excommunicatio minor id infert, ut, qui ea teneatur, ante absolutionem 1) non possit licite sacramenta recipere, 2) neque licite eligi ad beneficia et dignitates ecclesiasticas. Utrumque sub gravi prohibetur: S. Alph. 147—150.

Absolutio vero hujus censurae dari poterat a quolibet approbato confessario.

Plenior declaratio. Nota ad II. 1. Quamquam ceteri fideles cum ex-<sup>833</sup>communicato tolerato agere et conversari possunt: *licet* iis tamen, si excommunicatio notoria est, illum vitare, eumque a Missa, officiis divinis etc. excludere vel *expellere*, idque etsi clericus sit: v. S. Alph. 1. 7 n. 137, Thesaurus p. 2. ad vocem „censura“ c. 10.

2. Probabilis *censura* non obstat (S. Alph. n. 139), quominus fideles cum tolerato etiam in divinis communicent sine aliqua speciali causa vel necessitate. Haec autem communicatio *in divinis*, ut per se patet, intelligitur de ritu catholicō, non de ritu acatholico, quantumvis acatholicus inter toleratos numeretur. At quamquam *censura* non obstat, obstarere tamen potest in quibusdam actionibus ratio scandali vel cooperationis ad peccatum: de quo cf. n. 889 in fine.

Ad III. 1. Ut aliquis tamquam *notorius clericus percussor* vitandus sit,<sup>834</sup> crimen debet ita notorium esse, ut „factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari“: ita Const. „Ad evitanda“. — Igitur 1) *de facto* debet publice constare; 2) insuper quaedam juris notorietas requiritur, ut reus vel de crimen convictus sit in judicio, vel ipse in judicio confessus sit (S. Alph. n. 144), vel ipse palam de scelere commisso gloriatus sit cum contemptu ecclesiasticae poenae; at non requiritur, ut judex excommunicationem declaret. — „Percussores autem clericorum“ num non tantum ipse executor, sed etiam mandantes, consulentes etc. sint secundum can. „Si quis suadente diabolo“, vide infra n. 945.

2. Ut aliquis tamquam *nominatim excommunicatus* debeat vitari, requiruntur haec: 1) debet denuntiatio fieri publice vel in publico loco (post citationem vel monitionem, quatenus necessaria est); 2) debet a legitimo judice non tantum declarari, crimen illud et illud esse commissum, sed excommunicationem esse contractam; 3) reus in generali aliqua expressione tantum comprehendi non potest, sed debet proprio suo nomine, aut iis